



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. XVI. De actionum, quæ hominis propriæ sunt, tum subiecto, tum etiam materia & obiecto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

que honestiores esse censeantur. Et de causis quidē actionum nostrarum tum internis, tum etiam externis, hactenus. Veniamus ad earum tum subiectum, tum etiam materiam, & obiectum, quod appellatur.



## CAP. XVI.

De actionum, quæ hominis propriæ sunt, tum subiecto, tum etiam materia & obiecto.

**Q**UOD autem sit actionum earum quæ hominis propriæ sunt, subiectum, variè quæsitum est. *Quantum enim omnes virtutes, etiã ea, quæ per corpus operantur, in animo habitant,* quemadmodum lib. i. De nuptiis ca. 4. præclare scribit Augustinus: non est tamen sola hominis anima omnium actionum, quæ hominis propriæ sunt, subiectum. Nam actio totius *ὁμοῦ καὶ τοῦ σώματος*, & indiuidui proprium effectum & opus est, id est, animi & corporis communis agitatio & effectio, non solius animæ, non item solius corporis propriæ: quemadmodum ipsa sensatio est corporis & animi communis quædam operatio, uti constanter docetur in Philosophorum scholis. Quæ enim agimus tanquam homines, ea partim rationis imperio, partim corporis ministerio efficiamus, ut utraque nostri pars suam in iis actionibus vel laudem, vel pœnam meritò reportet. Sic peccata puniuntur, sic virtutes ipsæ à Deo



Optimo Maximo & iudice æquissimo probantur, ut & animus & corpus noster debitam pœnam vel gratuitum præmium in vltima illa resurrectione auferat: non solus autem animus, neque solum etiam corpus, pœnam vel præmiũ consequatur. Quamobrem in vniuersum ita statuendum est, actionum humanarum subiectum, esse hominem ipsum totum, corpore nimirum & animo constãtem. Atque id facillimè ex hoc Pauli loco colligetur, qui est 1. Thessalon. 5. ver. 23. vbi & corpus & spiritum, & animum nostrũ sanctificandum esse docet. Sed earum actionum nostrarum, quæ sunt tantũ interne, subiectum est Animus solus. Itaque rectè Lactantius, qui libro 1. capite 20. *pectus hominis virtutum domicilium* vocat. Earũ verò quæ sunt externæ, & sensibus notari, ac oculis vsurpari possunt, subiectum est in nobis Corpus, cuius membra animi imperata exequuntur. Cæterum quemadmodum internæ, siue animi nostri actiones sunt multiplices & variæ, ita variæ quoque in anima facultates sunt, tum verbis diuersis annotatæ, tum à Deo ipso certis locis & officiis distinctæ & seclusæ, per quas eas diuersas actiones operamur. Ergo animæ nostræ partes, siue potius facultates, duæ primũ in genere constituuntur:

{ λογικὸν μέρος, id est, pars animi, quæ ratione  
 vna,     ne utitur.  
 { ἄλογον, id est, pars quæ non habet vsum  
           rationis.

Non quidem quòd anima sit multiplex in nobis re ipsa: nõ item quòd ratio quædam & voluntas in omnibus affectionibus, appetitionibus,  
 siue



siue appetentiis nostris non versetur: sed ita Philosophi diuidunt animam, vt facilior postea postea sit tota de virtutibus & vitiis disputatio. Nam quæ in ἀλόγῳ animi partē appetitiones sentiūtur, illæ naturali quodam motu potius, quàm vlla antecedēte rationis deliberatione nasci videntur, quale est sitire, esurire, frigere: in iis tamen vel frænandis, vel satiandis ratio modū adhibere debet, versanturque eæ virtutes, quæ fortitudo & temperantia dicuntur. Quæ rationis lucem habet, illa etiam est duplex. Igitur pars animæ illa

vel { Omnino λογικόν, est μέγας καὶ κρείων λογικόν,  
 Partim λογικόν, partim etiam ἀλογόν, quod etiam ἐπιθυμητικόν appellant. Paret enim ea facultas sæpe rationi, sæpe autem repugnat, quod abs turpi libidine atque affectu abripiatur, neque rationem bene monentem semper audiat. In hac igitur tertia animi facultate regenda, illiusque actionibus moderandis, & rationi subiiciendis versantur eæ omnes virtutes, quæ ab illis ἡθικαῖς nominantur. In illa verò altera animi λογικῆς facultate ornanda ac perficienda, quæ ὅλως λογικὸς appellatur, laborant eæ virtutes omnes, quæ διαλογικαῖ ab iisdem dictæ sunt, & ab ἡθικαῖς distinguuntur. Ergo earum actionum quæ solis animi viribus fiunt. i. quæ internæ tantum sunt, & quæ in intelligentiæ nimirum, & voluntatis nostræ operatione atque agitatione versantur, subiectum est animus ipse hominis. Earum verò actionum, quæ externam aliquam operationem producant, & corporis ministerio geruntur, subiectum est hominis corpus, ac illius



membra. Quo fit, vt vniuersa Dei Lex, quæ omnes hominis actiones regit & moderatur, partim in animo nostro, partim in corpore ad Dei voluntatē verāmq; suā normā conformando posita sit, vt ex Rom. 12. Col. 3. v. 17. apparet, non in solius animi institutione & reformatione percipienda. Ex quo intelligitur, quā latē huius cognitionis, quæ nominatur Ethice, vis & præceptio pateat, quum & animi & corporis actiones omnes temperet, atque moderetur. Quamobrem hæc verē est ἀρχιτεκτονικὴ ars dicta: quia non vna solū in re, nec vna in vitæ parte, sed in omnibus hominem erudit, atque (si illi satis obsequeremur) perfectum reddit. 2. Timoth. 3. vers. 17. Postquam autem de subiecto actionum nostrarum diximus, de earundem obiecto, siue materia, circa quam versatur, ordine nobis agendum est. Sunt quidem actiones, siue actus nostri (quemadmodum alij loquuntur) omnium virtutum & vitiorum, quæ in nobis insunt, materia. Nam actiones nostras virtus informat & dirigit, atque illis speciem honestatis induit, per quam pulchræ, honestæ, & à vitiis differentes, cernuntur. Vitia verò easdem actiones nostras deformant potius, quā informant, quanquam (si verē loqui volumus) etiam vitia ipsa actionibus nostris speciem quandam inducunt, sed eā turpem, indecoram, ac inhonestam, ex qua infames, obscenæ, & deformes iudicantur. Sed actionum nostrarum est generalis quædam materia, in qua destinantur, atque versantur, quæ nobis explananda est, vt vniuersa futuræ disputationis utilitas ac ratio facilius à nobis postea propona-



proponatur. Ac quidem quid sit actio, & quod-  
tuplex, supra diximus: neque est hoc loco repe-  
tere necesse: vnum modo addemus, quod ma-  
gnam toti huic argumento lucem allaturum ex-  
istimamus. Est autem huiusmodi, Actus omnes  
nostros duobus modis distingui. Alij enim na-  
turæ, alij moris actus, siue actiones appellantur.  
Actus naturæ sunt, qui nulla rationis delibera-  
tione, sed solius facultatis, quæ nobis à natura  
instita est, & ad nostræ huius vitæ conseruationē  
& cōmoditatē cōcessa, vi & impulsu perficiun-  
tur, quale est edere, concoquere alimentum, cre-  
scere in iustam staturam, videre oculis, audire,  
olfacere. Denique quales sunt omnes humanæ  
actiones, quæ nobis sunt, vti sæpe diximus, cum  
brutis animantibus, vel etiam cum plantis ter-  
restribus communes. Hæ actiones sunt sæpe po-  
tentissimæ ac robustissimæ in pessimis & impro-  
bissimis hominibus, in quibus tamen actiones  
moris & honestæ planè vel languent, vel sunt  
prorsus extinctæ. De hoc autem actionum ge-  
nere nulla hîc à nobis instituta disputatio est.  
Quanquam enim Augustinus libro 22. contra  
Faustum cap. 47. peccatorum alia dicat esse *con-*  
*tra naturam, alia contra morem, alia contra prece-*  
*pta*, certum est tamen in huiusmodi actionibus  
naturalibus propriè, neque virtutem, neque vi-  
tium inesse, si aliud nō accesserit. Actiones mo-  
ris dicuntur, ex quibus bene vel malè morati &  
instituti vocamur, & ex quibus virtutis vel vitij  
alicuius formam & impressionem cōtrahimus,  
denique ex quibus virorū bonorum vel malo-  
rum nomen nobis cōparamus. Itaque ex sunt in  
i.ij.



quibus rationis, atque voluntatis humane vis, & (vt loquuntur in scholis) dominium, id est, imperium cernitur, quia ex deliberatione quadam animi proprie suscipiuntur, non ex solo natura impetu, vt edere & bibere. Moris autem aut morales actiones nominantur, partim vt à superioribus distinguantur: partim etiam, quòd illa institutio vitæ nostræ, per quam prauis vel probis apparemus, à Græcis ἠθῶς, à Latinis mos appellatur. ἠθῶς dicitur, quòd consuetudinem inde aliquam & assuetudinem nobis comparamus, ἀπὸ τοῦ ἐθίζειν, & quòd consuetudine siue assuetudine multum confirmetur, atque etiam tanquam acquiratur istiusmodi dispositio animi. Mos autem, quòd (vt ait Sextus Pompeius) instituta, quæ ad religionem vel pietatem pertinent, mores à Latinis hominibus vocantur. De hoc igitur secundo actionum genere, quæ sunt morum agimus, quarum materiam non vnã tantum quandam esse dicimus, quemadmodum ij, qui vnã tantum vniuersalem virtutem esse volūt, cuius sint distincta, & varia pro variis obiectis officia: sed triplicem harum actionum materiam distinguimus. Nam omnium actionum, in quibus honestas vel turpitudine aliqua versatur, & in quibus virtus vel vitium cerni potest, materia est quiddam à nobis

{ Cogitatum, δὶάκρια,  
 vel { Dictum, λόγος  
 { Factum & gestum, ἔργον.

Id quod tum ex Paulo, Coloss. 3. vers. 17. tum ex Augustino eius iustissimo interprete, in Enchirid. cap. 64. & in Psalm. 118, satis intelligi potest.

Quic-



Quicquid enim à nobis fit, vel animi nostri cogitatio est, vel oris sermo, vel manus & membrorum nostrorum factum quoddam: vel omnia hæc simul. Itaque eadem illa sunt, in quibus omnis illa actio nostra, quæ moralis dicitur, occupatur, & versari apparet, seque exercet. Denique quum virtus, vel vitium dicitur esse actio quædam, id vel ad cogitationem, vel ad sermonem, vel ad factum aliquod nostrum id referamus, necesse est: quia illud, in quo actio omnis nostra moralis versatur, est quiddam de harum trium rerum numero. Vt autem aliquid cogitemus, dicamus, itémque faciamus, indidit Deus vires & facultatem nobis. Quum igitur aliquid corde, ore, vel membro externo corporis ex ea facultate, quam illi Dominus tribuit & dedit, agimus, tunc est aliqua actio nostra: ex quo fit, vt vera & præcipua materia, circa quam omnis moralis actio versatur, sint hæc tria quæ diximus. Cæterum cum illa rectè atque vt oportet, agimus, huiusmodi nostræ actiones virtutes appellantur: quum autem perperam & malè eadè agimus, & alio quàm oportet modo & ratione, vitia nominantur. Est enim virtus, cuius actus ipse Lege Dei præscriptus est, id est, cuius actio ex eo genere actionum est, quas Deus fieri præcipit. Præclarè nanque hoc, vt alia multa, Augustinus libro 4. contra Iulianum, cap. 8. *Opus bonum est, quod conscientia non titubante fit, & cuius actus à Deo non est damnatus.* Ergo actuum, siue actionum bonarum genera omnia summatim Lege Dei continentur. Sed vt in corporibus, sic in his actionibus nostris accidit, vt non tantum



ipſe ſuccus, ipſaq; corporis noſtri moles, compago & *ēgia* laudetur, vel vituperetur, ſed etiam color, proceritas, cōpoſitio, delineatio, & proportio membrorum inter ſe ſpectetur: ex quibus rebus venuſti vel deformes ſerè nominamur: ſic in actionibus noſtris, quæ morales ſunt, nō tantū ipſum cogitatum, dictum vel factū noſtrum per ſe & nudum conſiderari ſolet: ſed etiam variæ circumſtantia, quæ ſunt noſtris actionibus, velut externa quædam illarum forma, annexa. Sunt enim earum velut quoddam externum indumentum, quod diligenter perpendi ſolet & debet: quia circumſtantia noſtras illas actiones vel exornāt, & ſplendidiores quodammodo reddunt, vel eaſdem deturpant & conſpurcant, vt ſint appareāntque magis deformes. Ergo circumſtantia ſunt altera quædā noſtrarum actionum materia, ſed illa quidem acceſſoria, & ſecundaria: non autem præcipua, neque primaria, qualis cogitatio ipſa, vel loquutio noſtra, vel geſtio rei, ſed quæ tamen prætermitti ad noſtrarum actionum honeſtatem ac velut bonitatem vel ſcēditatem integrè & ſincerè diiudicandā, neque poſſunt neque debent. Ex quo iam fit, vt ſi actionum noſtrarum definienda ſit tota materia, non tantū ſpectandū ſit hoc quod egimus eſſe vel cogitatum, vel dictum aliquod, vel factum noſtrum: ſed etiam illud ſit addendum & conſiderandum, quibus circumſtantiis veſtitum, & tanquam compoſitū ſit id quod egimus, id eſt, quomodo quippiam vel cogitatum ſit, vel dictum, vel factum à nobis. Si enim neque quo instrumento oportet,

tet,



tet, neque quo modo, neque quo tempore, neque quo loco, neque quo fine, neque qua in materia debuit, aliquid factum est à nobis, id rectum esse minimè dici potest. *Oportet enim*, inquit Bernardus, *in virtutibus & tempus, & locum, & modum spectari, præter qua virtus non est virtus.* Itaque summa animi prudentia opus est, ut omnes eas circumstantias tum animaduertamus, tum etiam rectè obseruemus. Illa verò, uti cæteræ virtutes omnes, à Deo petenda est, quæ *πὸ δὲ αὐτῶν διακρίστος*, id est, Spiritus discretionis appellatur. Nam vna est prudentia, quæ in illis omnibus perpendendis, exquirendis, & eligendis versatur. Itaque præclarè Aristoteles libro 6. Ethic. c. 12. *Rectum opus, ait, prudentia, & morali virtute perficitur. Virtus enim rectum scopum eligit & facit. Prudentia autem media recta, per qua ad huiusmodi finem peruenitur.* Quòd si ira vel libidine, vel praua consuetudine huius prudentiæ lucem suffocauerimus, nunquam rectè rerum circumstantias obseruabimus, videbimus, nec opus rectum faciemus. Circumstantiæ verò, quæ sunt nobis necessariò in nostris actionibus moralibus perpendendæ, quot & quales sint, antea diximus. Ex iis autem quædã sunt magis principales, velut finis, & materia, quæ duæ ex ipso agentis animo omnino pendent. Itaque plus deturpant, vel ornant nostras actiones morales, quàm cæteræ:

nimirum, {
 

- Tempus
- Locus
- Persona
- Modus
- Instrumentum.

quæ omnia  
i. iij.



non ex solo agentis animo sumuntur: sed habēt etiam sapissimè aliarum rerum, quæ non sunt in nostra potestate, adiūctionem necessariam, & sepe ex aliis rebus, quas ignorare iuste possumus, pendent & æstimantur. Itaque hæ circumstantiæ quinque, minus nostras actiones lædūt, quàm priores duæ, quas nemo aliquid agens ignorat. Nemo enim nescit & quo fine agat: & in qua materia. Ex quibus omnibus iam intelligitur, ecquæ sit actionum moralium vel primaria, vel secundaria materia. Quidam autem aliter sentiunt: nempe, Duplicem tantum esse omnium moralium actionū materiā, Affectus nostros, quos *opius* appellant, & appetitus: vel Impetus, quos *meis*, & perturbationes animi volunt esse. Infitos enim esse animis omniū hominum à Deo quosdam affectus, & appetitus, quorum impulsu humanus animus, ut ait Lactātius libro 6. cap. 14. commouetur, quorum affectuum alij sunt moderatiores: alij autem effrenes magis ac præcipites. Illos moderatiores affectus vocant Appetitus: hos autem minus subditos rationi, Perturbationes animi. Certè, si quæ sit iam humanæ naturæ post peccatum ratio, diligenter spectetur, duplex affectuum genus in nobis esse fateamur necesse est. Vnū quidem non tantum naturale, sed etiam laudabile, & à Deo ipso homini integro concessum, qualis est amor vxoris, liberorum, studium vitæ cōseruandæ, cibi appetitio, & cæteri similes affectus, qui nullo modo in nobis sunt extinguendi, sed ex Dei præcepto moderandi. Alterū autē genus affectuum in nobis etsi naturale est, est ta  
men



men vitiosum, & à peccato in nobis, non autem à Deo ipso insitum, velut amor cædis, libidinosus æstus, ingluuies, odium fratris. Atque hi affectus sunt omnino extirpandi, non moderandi. Sed quod scribit Lactantius etiam in primo affectuum nostrorū genere cernitur. In eo enim sunt quidam motus, & naturæ impetus ferè sedatiores: alij autem vehementiores & commotiores, in quibus vtrisque virtus versatur. Quum enim vtrique, id est, & appetitus & perturbationes, sint animorum nostrorum tanquam vbertas quædam naturalis, velut in agro sunt sentes, illi certè sunt vel coercendi, vel extirpandi, vel excolendi. Magna enim prouidentia, inquit idem Lactantius cap. 16. istas animi commotiones ingenerauit nobis Deus, ad tuenda huius vitæ officia, quia quum animus, vt a qua, torpet, planè est inutilis: quum autem istis motibus excitatur, tum virtutem capere potest. Ergo virtutum & vitiorum segetem, siue materiam, putant esse tum istos affectus & *opuas*: tum perturbationes, & *madm* animorum nostrorum, locupletissimam illam quidem, in quibus regendis, coercendis, & rectè administrandis versentur virtutes: vitia verò in iisdem efferendis, & à recta norma dimouendis. Et hæc quidem vera sunt, quum de ipsarum virtutū & vitiorū proxima materia quærimus. Vtriusque enim obiectum sunt affectus illi nostri, quos diximus, & quos virtus suscipit vel regendos, vel etiã prorsus nonnunquam euellendos. Nos autem de generali actionum omnium moralium materia respondebamus, quum eam triplicem esse dixi-



mus. Nam etiam in singulis generalis illius materiae partibus, id est, in eo quod à nobis cogitur, dicitur, & fit, appetitus, vel perturbationes inueniri, qui à virtute regantur, sanè concedimus, ne quid à nostro Lactantio diuersum sentire cuiquam videamur.



## CAP. XVII.

De omnium actionum humanarum, quæ sunt honestæ, sine, & scopo.

**P**ROXIMUM est, vt de actionũ nostrarũ, quæ morales dicũtur, sine ac scopo dicamus, quæ quanquã sunt duplices, nimirũ aut honestæ, aut vitiosæ, de honestis dũtaxat dicere nobis maximè propositum est. Neque enim hæc à nobis suscepta est disputatio, vt homines ad vitia prouocemus, ad quæ sunt naturã plus satis propensi & procliues: sed vt ad virtutem atque ad omne honestum opus eos instruamus: qui certè est huius cognitionis & philosophiæ verissimus finis, què admodum Paulus docet, 2. Timoth. 3. versu 17. *ἵνα, αὐτὸς ἄριστος ἢ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξυπηρετῆται.* Itaque de fine, quem sibi proponere, quẽmq; spectare debet, quicumque verè bonum opus efficere studet, agamus. Est enim in vna ea re boni vel mali operis maximum discrimen positum: & in fine deligendo, proram & puppim virtutum totiũsque honestæ navigationis